

enim destruendis hominum affectionibus atque naturalibus corporis habitudinibus, sed perficiendis, & in usum convertendis descendit. Ipse manum, ipse spiritum Vatis deducens, artem ipsius suo operi servire cogit. Quadam ex sacris Carminibus acrostico artificio concinnata sunt, quod studium flagitat & meditationem. Tandem nunquam à se impetrare valet idem Author, Davidem exulem, proscriptum, inter cavernas pererrantem, & deserto in deserta dilabentem, tantam prolyra sua curam habuisse, ut nunquam illam dimitteret; sed paratam semper haberet ad melodiam aliter planè quàm afflictæ ejus res flagitabant.

Ad alteram quæstionem quod spectat, an scilicet Psalmi nullo Authoris nomine inscripti ad præcedentium Autores refe-

rendi sint; eam sanè opinionem esse Patrum, & vetustâ Judæorum traditione teneri, quæ paria opinatur de scriptis Prophetarum nullo Authoris titulo præfixis, & de Prophetis, quorum missionis certus annus nullus legitur in Operis fronte, alibi animavertimus (d). Regulam illam sibi pariter proponendam censent doctissimi Interpretes, & nos etiam plerumque adoptamus; nisi si fortè evidens Textus veritas deserendam quandoque persuaserit. Usum e.g. cum posteris Moysis tribuere decem Psl. post Psl. 89. *Domine refugium factus es nobis*, proximè succedentes. Axioma est tamen suis exceptionibus obnoxium, nec tamen minus verum, cum ibi, sicut in cæteris, exceptio regulam firmet (e).

d *Dissert. de Titulis Psl.*
e Vide, si placet, Comment. in Prophetas minores, in quo sæpius ab hac regula recedimus; nec unquam nisi post serium examen admittimus.

DISSERTATIO IN TEXTUM ET VETERES PSALMORUM VERSIONES.

ARTICULUS PRIMUS.

Textus Hebraicus Psalmorum.

QUÆ ad Textum & antiquas Psalmorum Versiones spectant omnia, non ita discutienda suscipimus, ut rem omnem tractemus; id enim non Dissertationem sed Volumen flagitaret. Ideam quãdam totius rei utcumque formandi consilium agimus. Lectores minùs earum rerum instructos, vocum saltem, quas in Commentario adhibemus, significationem doceamus; vocum, inquam, sæpiùs recurrentium, dum crism Textuum & variantia referimus.

Textum originale Psalmorum Hebraicum esse negaverit nemo. Ed proinde Versiones omnes referendæ, ut par de singularum merito iudicium feratur, pro variâ cum eodem Textu congruentiâ vel difformitate. Nec ideo tamen quod difformitas aliqua inter Hebræum & versiones deprehendatur, statim iudicium damnationis ferendum est, cum ex Versionum fide interdum Textus ipse fuerit corrigendus; sed in pari causa & cum nihil suspitionis in Textus integritatem creari potest, ejus semper fides Versionibus præferenda.

Nullus esset postremæ huic exceptioni locus, siquidem Textus Hebraici in nostris Bibliis integra maneret fides, quam olim, cum ab ipsis Authoribus scriberetur, præferebat. Omni tunc abjectâ morâ ad

fontem recurrendum esset, atque ex ejus puritate sinceritas Versionum restituenda. Sed cum intercidentibus jam inde Authoribus, descripta ex illis tantùm maneat Exemplaria, quæ eodem fermè ac cæteri Libri omnes fato, per manus hominum longâ temporum serie decurrentes, eam fecerunt contraxerint, quam ignorantia, præcipitatio, audacia Amanuensium induxit; ideo suspicio aliqua de corruptione Textus admittenda est, sed parè admodum nec sine cautione sententia proferenda. Quare & Versionum indicio opus est, ut corruptiones illas Textus deprehendamus corrigamusque; & vicissim Textu reformatis Versionibus juvemur, cum à vero originali sensu deviarint, sive Interpretum oscitantia, sive Amanuensium negligentia.

Inter omnes Scripturæ Libros Psalterium, obscurissimum illud, frequentissimè transcribi contigit; quæ duplex ratio, obscuritatis nempe & excriptionis in causa fuit, quare miserè præ omnibus ab Amanuensibus scædaretur & mendis scæteat in Hebræo frequentioribus, quàm reliqui Scripturæ Libri omnes. Difcrepat in omnibus ferè Psalmis aliquid Hebræum inter & Septuaginta; quod scilicet ad aliam, quàm quæ hodie præfertur, legendi Textus originalis rationem, referendum esse vix dubito. Neque omnium optimam Septuaginta Versionem defendendam suscipimus; sed fateri tamen cogimur, eorum le-

ctionem & pronum magis & naturalem sensum exhibere; sicut & varias fuisse olim Hebræi lectiones apertissimo documento monstratur. Ex quo falsi arguitur Hebræorum iactantia, nunquam non integritatem suorum Librorum crepantium; simulque adversus illos critica usus probandis scernendisque optimis lectionibus defenditur.

Subjicienda sunt modò eorum omnium, quæ diximus, exempla. Luculentum dedimus in Dissertatione ad illud Psl. 12. 18. quo loco Judæi legunt: *Quasi Leo pedes meos, & manus meas*; cùm Septuaginta, Vulgata, & Veteres alii Interpretes habeant: *Foderunt pedes meos, & manus meas*. In Psl. 36. 28. acrostico artificio, sive per alphabetum digesto, litera *Hain* deest in Hebræo; legitur verò in Septuaginta & Vulgata, legentes: *Injusti punientur &c.* Simili mendo in Psl. 144. 14. acrostico deest litera *Nun*, quam servant Septuaginta & Vulgata, legentes: *Fidelis Dominus in omnibus verbis, & Sanctus in omnibus operibus suis*. In Psl. 34. 27. legit Hebræus nostræ ætatis: *Et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui vult pacem servare tui*; quo loco Septuaginta & Vulgata reponunt: *Et dicant semper: Magnificetur Dominus qui vult pacem servare ejus*; quæ sententia alteri ex Psalmo 39. 17. respondet in Hebræo, Septuaginta, & Vulgata his verbis conceptæ: *Dicant semper: Magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum*. Mendosa est igitur prioris Textus in Hebræo lectio.

Nec suspicione vacat illud Psl. 146. 8. *Et verbum servituti hominum*, quod in Hebræo desideratur Amanuensium oscitantia, cum in Septuaginta æquè & Vulgata legatur. Parallela duo loca in Psl. 103. 14. & 41. 7. apertum pariter mendum exhibent, quod maximè apparet, si ambo hi Textus conferantur cum versiculis posterioris ejusdem & proximè sequentis Psalmi; habent autem: *Confitebor illi salutare vultus mei*; cum in Hebræo sit: *Confitebor salutare vultus mei*; quod planè alterum sensum reddit. In Psl. 48. 13. Hebræi lectio mendosa pro *Jalin* præfert *Jabin*, ut sit sensus: *Homo in honore non perhorretur*, cum potius juxta Septuaginta, & Vulgata reddendum fuisset: *Homo cum in honore esset, non intellexit*. Contextus series in Psl. 48. 12. fert, juxta ac Septuaginta, & Vulgata legunt: *Sepulchra eorum domus illorum in perpetuum*; pro eo quod male in Hebræo est: *Interiorum sua domus sua in seculo*; quod absurdam planè sententiam reddit; non minùs ac illa ejusdem Psl. vers. 16. *Laudabunt te cum benefeceris tibi*; cujus loco rectè Septuaginta, & Vulgata: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*.

Nec minùs vitiosus est Hebræus in Psl. 41. 5. cum pro eo quod bene in Vulgata, & Septuaginta redditur: *Transbo in locum tabernaculi admirabilis*; ferat: *Transbo in numerum, incedam cum eis*. Titulus Psl. 6. habet apud nos: *Pro occultis filii*; in Hebræo verò pro morte filii; perperam unâ *Dissert. Calmet. Tom. I.*

voce *Almoth*, quæ sonat ibi *puellas*, in duas voces divisâ. In Psl. 12. Hebræus *Oseulamini filium*; Septuaginta *Apprehendite disciplinam: uter mendosus?* In Psl. 3. 8. *Dentes peccatorum contrivisti*, legit Hebræus: *Septuaginta, Contrivisti dentes eorum, qui inimicantur mihi frustra*; utriusque sententiæ sensus Textui congruit; sed quæ præferenda? Ex eo sanè argumentum deducitur apertissimum, Textus, quo Septuaginta utebantur, aliam fuisse lectionem à nostræ ætatis Hebræo. Nec ego tamen dissimulaverim; vetustos illos Interpretes corruptiorem aliquando Textum habuisse præ nostro; cum jam inde ab eorum ætate menda in Textum originalem gliscere cœpissent. Sed purior erat tamen præ Hebræo nostræ ætatis. Apertissimum est etiam mendum in Hebræo Psl. 3. cùm lectionem Septuaginta & Vulgata: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* ita depravet, *Beati in Capb* transmutato: *Filii hominum usquequo inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem?* Paria observes in Psl. 78. 13. Septuaginta: *Operui in jejuniis animam meam*; & Hebræus: *Ploravi in jejuniis animam meam*.

Uter melius, Hebræusne an Septuaginta legerint illud Psl. 7. 5. ambigo; Hebræus ita: *Si reddidi amico mala, & dimisi hostes meos vacuos*; id est; tantum absuit ut proximo nocerem, ut ne hostibus quidem gravis esse sustinerim. Septuaginta: *Si reddidi retribuētibus mihi mala, decidam ab inimicis meis, seu potius, Decidam ab inimicis meis inanis*.

Et in eodem Psl. vers. 12. Septuaginta & Vulgata hæc lectio: *Deus Judex justus, & pateriens; nunquid irascitur per singulos dies?* Hebræi verò: *Deus Judex justus irascitur per singulos dies*. Psl. 106. 17. Hebræus: *Stulti facti sunt propter vias suas*; Vulg. *humiliati sunt*. In Psl. 11. 7. genuinam crediderim lectionem: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum*; cujus loco habet Hebræus & Septuaginta: *Eloquia Domini eloquia munda, argentum conflatum à Domino terra, purgatum septemplexiter*. In Psl. 143. 12. hanc Vulgata sententiam: *Eorum filia circumornata ut similitudo Templi*; ita exprimit Hebræus: *Nostra filia ornata quasi anguli Templi vel Palatii*. Ego verò eandem sententiam reddiderim: *Filia nostra sicut oliva, ornata ut Templi adificium*. Hæc satis; plura si quis velit, adeat Commentarium, cujus utraque pagina similia præfert exempla.

ARTICULUS II. Septuaginta Interpretum, & aliarum Græcæ Versiones.

QUÆ Septuaginta vulgari nomine præfertur Versio, omnium sinè controversiâ vetustissima, appellationem suam, debet septuaginta & duobus Hebræis sapientissimis, quos accitos ferunt 300. circiter

ante Christum natum annis in Aegyptum a Rege Ptolemaeo Philadelpho, Hebraicis Scripturis in Graecum vertendis. Hujus historiae veritatem, quod pluribus redarguatur, discutere non est hujus loci; satis enim superque habemus, si ejus Versionis aetas vetustissima pra omnibus habeatur. Hic autem agendi de illa sumptimus occasio, quod Latina Psalmodum vulgata. Versio ex Graeca Septuaginta adornata sit. Hujus igitur Versionis Psalterium modò excutiendum.

Editiones Septuaginta plures etiam apud Veteres ferebantur. Omnium optima habebatur, quam emendatam à se in Hexaplis suis Origenes constituerat. Hanc caeteris corrigendis & maximè Editioni, quam appellant *Communem*, Theodoretus (a) & S. Hieronymus (b) adhibuerunt. Quae autem loca manca in Editione Septuaginta offendit Origenes, ex Versione Theodotionis ita supplevit, ut obelo seu veru. illa notarit, quòd facillè à reliquo Septuaginta contextu distinguerentur. Hesy chius Episcopus in Aegypto, & Lucianus Presbyter Antiochenus reformandis Graecis Septuaginta Editionibus aliquanto post Originem operam dederunt. Quae nostrà aetate suppetunt Editiones, variant inter se; nulla tamen ita ac Romana cum Compluten si collata. Posterior haec ferè congruit cum Hebræo, & Vulgata; ut non immeritò suspicemur, eos, qui illam recensendam in se susceperunt, plus operis contulisse ut Latino conformarent, quàm ut ad vetera Mss. Graecorum, quae in eà ferè neglecta videntur, fidem redigerent. Romana plus consonat cum vetustis Psalteriis Latinis, caeterisque testimoniis laudatis à Patribus Latinis, S. Hieronymo vetustioribus, vel ejus Versione minimè usis. Plus etiam respondet Textui Graecorum Patrum, & Mss. ut proinde non immerito sola genuina & vetus Septuaginta Versio à Viris doctis reputetur; cum interim Complutensem iterum in Polyglottis Antuerpiensibus, & Parisiensibus impressam, tanquam corruptam aliquam Versionem, & rapsodicam quandam lucubrationem nullius auctoritatis rejiciant.

a Theodoret. in Ps. septis. b Epist. ad Julianam, & Eusebii. Ea Editio, qua habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipsa est, qua in Eruditorum. Libris incorrupta & immaculata Septuaginta Interpretatio reservatur.

c Epiph. de Ponder. & Mensur. d Hieron. lib. 2. ad ver. Rufin. ad finem, & Epist. ad Pammach. de optimo genere interpretandi. e Hieron. ad Damasc. 1. 2. nov. Edit. pag. 567. f Epiph. de Ponder. & Mensur. g In Rufin. l. 2. Praef. in Evangg. ad Damascum.

tionem Symmachus aggressus est; praè Aquila & Theodotione liberiore; plus enim de sensu curat, quàm de verbis Textus. Quam Versionem illam aestimaret S. Hieronymus, satis demonstrat, cum eam duce in sua V. T. interpretatione ferè semper sequatur. Porro vir ille ex Samaritanis ad Judaeorum sacra transferat.

Praeter has Versiones, quorum Authorum nomina noscuntur, duae etiam à Judaeis Authoribus, sed ignotis, adornatae in Hexaplis legebantur; Laudantur illae sub nomine *Quinta & Sexta Editionis*. Sextam regnante Alexandro filio Mamee invenit Origenes in dolis vel in lagenis fictilibus, olim continendis Libris & scriptis destinatis; invenit, inquam, Nicopolis in Macedonia juxta Achum. Simile vas in Jericho Palaestinae sub Caracalla filio Severi, *Quintam Editionem* Origeni suffecit. Omnium earum Versionum, exceptà Septuaginta solà, supersunt fragmenta; ut de eorum methodo dotibusque nihil exacti possit definiti. Fufius idem argumentum tractat R. P. D. Bernardus Montfaucon in nova Editione Hexaplorum. Levius nos, & quantum scire sat est iis, quos fontes consuluisse non vacat, egisse non poenitet.

Porro Versiones istae omnes universam Scripturam complectuntur; septima alia Versio, Psalterii tantummodo, innotuerat. Omnes collegit Origenes, & in Codice in sex columnas è regione sese spectantes distributas hoc ordine collocavit. 1. Septuaginta legebantur. 2. Aquila. 3. Theodotion. 4. Symmachus. 5. Quinta Editio. 6. Sexta Editio. Hisce constabant Hexapla totà antiquitate celebratissima. Accedebat his omnibus scriptis literis Hebraicis Textus originalis; tum & idem Textus Graecis, literis, in gratiam Hebraeae elementa ignorantium, expressus. Nec deceret septima Versio, Psalterii, sed cum unius tantum Libri Translationem referret, ideo tanquam parergon aliquod scriptum reputatum est. Quare totum Origenis Opus licet septem columnas in Psalterio haberet, adhuc tamen Hexaplorum nomen retinuit.

D. Ferrandus Praefat. in Ps. cap. 5. §. 2. defendit, Versionem Latinam Psalmodum ex veteri Septuaginta expressam fuisse, antequam haec ab Origenes, Hesychio, & Luciano recenseretur. Id sanè negare audeat nemo, cum ante Origenem caeterosque obtineret in Ecclesiis Latinis Versio, ex eoque proinde Textu expressa, in quem nihil Viri illi doctissimi contulerant. Sed eà pariter assertione satendum est, Latinam Psalmodum Versionem, qua utitur, alteram fuisse ab ea, quam Latini PP. adhibuerunt; quemadmodum ex vetustis Psalteriis impressis pariter & Mss. à Vulgata non raro discrepantibus, luce clarius in Notis ad gram. inferiorem nostri Commentarii rejectis demonstramus. Fufius eadem de Versionibus Latinis agendum est.

Versio Graeca Septuaginta magis pro-

num aliquando, apertum, & naturalem sensum praè Hebræo nostrae aetatis, Versionibus Aquilae, Symmachi, & Theodotionis praefert; quo documento intelligimus, Textum Hebræum posteriorum illorum Interpretum aetate eundem ferè corruptionis gradum, quem hodie tenet, attigisse. Additamenta quaedam, maximè in titulis Psalmodum, Graeci sibi adjungenda praeter fidem Hebraici Textus, censuerunt; quod alii ipsis Septuaginta deputant; alii ex Hebræo Originali derivata arbitrantur. Sed non abs re suspicamur, mera esse Judaeorum Hellenistarum inventa; quos sanè Judaeos usos constat Versione Septuaginta, tum ante Jesu Christi etatem, cum aliquanto etiam post, tradente Tertulliano, legi illam etate suà in Synagogis consuevisse (h). Sunt etiam ex iis inscriptionibus, quae post inceptam Religionem Christianam manu Christiani alicujus insertae sunt (i). Quae autem in ea re variantia inter Exemplaria Septuaginta deprehenduntur, Graecorum libertatem in recensendis Sacris Codicibus satis produnt. Plura enim immutata, plura omiffa; capitum & titulorum, quin & Textuum pariter (k) ordo praeposterè inversus. Majori religione Latini integritati Sacri Textus studuerunt. Ad Psalmos quod spectat, Septuaginta Editionis Romanae satis congruunt cum vetustis Patribus Graecis, & Latinis; sed non immeritò suspicamur, S. Hieronymum, tum maximè cum secundis curis Vulgatam reformavit, ad fidem Hebraice veritatis reddidisse, iis ex variis lectionibus Septuaginta retentis, quae maximè Originali congruerent.

h Apolog. c. 18. i Ps. 66. Canonicum Psalmi Resurrectionis

k Confer in Libris Regum, Proverbiis Salomonis & Versionibus Isaia & Jobi.

l Ps. 91. Eleo pioni: Misericordia pingui. Oleo pingui. m Ps. 44. A domibus eburneis. Legunt Veterum plures à gradibus eburneis. Septuag. Apobaron elephan-timon. n Aug. in Ps. 4. Aperite. Legit illud Cutanoigete pro Catanygete: Compungimini. o Apoc. 1. 11. pro Apo. carpoi.

p Ps. 24. 3.

cepti: *In manibus tuis tempora mea. Quid? Illud Psalmi 28. 1. Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum*, nonne ex gemina unius & ejusdem vocis in originali posita significatione factum est illud *filii Dei filios arietum*? una enim Originalis vox reddi potest *filios Dei, & filios arietum*.

Legesit Epistolam S. Hieronymi ad Surniam & Fretebellam, in qua plura variantium ejusmodi exempla, tum & critica quaedam animadversiones in Textum Septuaginta & Vulgatam. Ex ea Epistola axioma illud derivamus, quo claudendum hunc nostrum articulum arbitramur. *Sic omnino psallendum, ut sit in Ecclesia; & tamen sciendum quid Hebraei a veritate habeat: atque aliud esse propter vetustatem in Ecclesia decantandum, aliud sciendum propter eruditionem Scripturarum.*

ARTICULUS III.

Versiones Latinae Psalmodum.

Quamquam frequentissimi ante Jesu Christi etatem in Italia pariter & in Urbe versarentur Judaei, nullam tamen Latinam Bibliorum Versionem habuisse, ante constitutam Ecclesiam Christianam videntur. Lectionem illi audiebant Sacrarum Scripturarum ex Codicibus Hebraicis vel saltem Graecis, quo sermone nullus magis familiaris tum Romae, cum Judaeis, qui omnes ex Orientalibus & Graeciae maximè regionibus illuc transfugerant, habebatur. Prima Latina Psalterii Versio à Christiano adornata creditur in gratiam eorum, qui Hebraicas Graecaeque literas ignorabant; quae sanè Versio caliginosam adeò vetustatem praefert, ut neque de Authore quidquam, neque de etate innotescat. Expressam tantum constat ex Graeco, ab ipso Apostolorum saeculo, & in Ecclesia Latina usque ad Versionem S. Hieronymi obtinuisse. Nec alteram norat in publico Officio Ecclesia Romana, usque ad S. Pium V. qui Veteris Italicae usum Romae abolito, (eà tamen nonnullis in locis, ubi hodie etiam manet relicta) Vulgatam substituit.

Frustrà ad invidiam in ejus vetustatem creandam, barbariem Versionis illius opponunt; ultrò enim concedimus, voces quaedam occurrere non desecate Latinitatis; neque repugnans Neronis, Vespasiani, Domitiani, & Trajani etate viros ingeniosos & politionis literature, sicut & Latinam originem referentes, ac tandem Latinis literis excultos, puriori Latinitatis eloquio usos, quàm quo Author interpretandis Scripturis. Sed Apostoli eorumque Discipuli parum de stilo & eloquii puritate curabant; reo solum contenti, si veritatis vim totam exprimerent; quin & dignitati mysteriorum congruere arbitrabantur, ut solà majestate suà, non adscititiis humane eloquentiae ornamentis niterent (q): *Loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus.*

q 1. Cor. 2. 13.

Hanc